



Nf. 59.5.





PROLUSIO PRIMA  
DE  
EVIDENTIA CRITICA  
AD SACRAS LITTERAS REFERENDA

---

QUA  
LUSTRATIONIS SCHOLASTICÆ  
SOLEMNIA  
JUSSU ET AUCTORITATE  
*VENERANDI CONSISTORII*

A. D. VIII. CAL. OCTOBR. M D CCLXVII.

HORA LOCOQUE CONSUETIS

PUBLICE CELEBRANDA,

EA, QUÆ DECET, OBSERVANTIA ET PIETATE

INDICIT

*a.*

JOH. GEORGIUS PURMANNUS  
GYMNASII RECTOR ADJUNCTUS.

---


FRANCOFURTI AD MOENUM  
EXCUDEBAT HENRICUS BAYRHOFFER.

PALINGENIUS

*in Zodiaco vitæ.*

**O** quot morosophos tellus parit & philodoxos!  
Quare non tutum est, facile omnia credere cuiuis,  
Ille licet sit magni nominis, innumerasque  
Scribendo implevit nigra loligine chartas.  
Magni sæpe viri mendacia magna loquuntur,  
Et nemo est adeo prudens, quin sæpius erret;  
Est igitur ratio inprimis quærenda, fidesque  
Maior in ambiguis rationi est semper habenda,  
Quam dictis hominum, namque hæc sunt falsa frequenter.





§. I.

quam animi inconstantiam Phormio Terentianus Chremeti exprobrat, loquentem eum inducens: nolo, volo, volo nolo rursus; quod dictum est, indictum est, quod modo erat ratum, irritum est; eam multorum mortalium inherere pectoribus, nemini, nisi qui rerum apud homines gestarum prorsus ignarus est, ignotum esse potest. Fuit, & adhuc hodie est, genus quoddam hominum, qui, superbo philosophorum nomine perperam sibi imposito, libertate cogitandi turpiter usurpata, se omnibus doctrinæ diuinæ atque humanæ angulis perreptatis, nil quidquam certi vidisse, sed potius vbique dubitandi materiam deprehendisse, clamitant. Scepticos dico, quorum a PYRRHONE ELEATE ad VOLTARIUM vsque & RUSSAVIUM sat magnus est exercitus, qui in omnia doctrinæ solidioris munimenta impetu facto, ea destruere adlaborant. Non ex eodem tamen fonte diuersa horum hominum ratio profluit. Quidam, quorum externa species honestissima videtur, falsa pietatis imagine decepti, ne nimiam sibi sapientiam arrogantes, superbix Christiano indignæ rei fiant, dubitare & sibi ipsis diffidere, quam quæ sententia sibi probetur, decernere malunt. Hinc bona quidem mente, sed parum sollerti iudicio, cum rationum in vtramque partem se versantium vim ac pondus diiudicare nec possunt, nec volunt, in argumentis difficilibus hærent, nec quid statuant, sciunt, incertitudinemque, qua in varias distrahuntur sententias, non suo, sed humanæ naturæ vitio enasci putant, id quod HUETIO, viro inter præclarissima Gallix lumina maxime illustri, contigisse, pluribus ostendit BRUCKERUS. (a) Horum hominum ratio multis adeo adridet, vt;

A 2

licet

(a) in historia philosophica, Period. III. P. I. L. III. c. I. §. 6.



licet alias ob causas animo fluctuentur, pietate tamen prætensa, cui vim fieri putant, nisi humana natura imbecillitatis incusata, inter rationes sibi obloquentes dubii hæreant, nil decernere ac definire velint. BAILIUM quidem, quem scribendi elegantia multiplicique eruditione insignem, omnes intendisse nervos, ut Scepticismo frigidam suffunderet, notum est, dum rationis vocem in rebus ad religionem spectantibus non audiendam esse, cunctaque ad auctoritatem diuinam reuocanda esse contendit, rationis ac reuelationis pugnam incerto Marti reliquisse, a multis eruditione ac pietate conspicuis viris demonstratum est. (b) Qui eius vestigia premunt, tantum abest, ut religionis Christianæ hostes haberi sustineant, ut potius summam se eius curam habere, eamque omnibus se viribus suffulcire, aliis, qui obtusioris sunt ingenii, persuadere student. Necvero stulti aut furiosi semper habendi sunt, cum acutissimis disputationibus, se Mineruam minime nouercam nactos esse, ostendant. Sed temeraria ac inconsulta quadam cogitandi ratione impulsæ, de recta via declinant. Vident scilicet, ad exasiciatum doctrinæ ædificium construendum, factu illo, quem quidam vocant dogmaticum, quo omnia ad auctoritatis tantum humanæ trutinantur examinantur, præiudicatisque opinionibus atque erroribus pronissima via panditur, nil esse periculosius. Dum hæc ergo vitia vitant, in contraria currunt. Fieri vero haud raro solet, ut ad hanc animi adfectionem, vanæ gloriolæ studium accedat, hominesque, qui initio veritatis indagandæ amore excitati, ea, quæ ab aliis iam dicta erant, maiori cura diiudicanda censuerunt, maiorem inde ingenii laudem aucupantes, nodos in scirpo quærant, dubiaque moueant, quæ nemini mortalium vnquam in mentem venerunt. Hinc media via relicta ad extrema progrediuntur, ac dum veritati consulere volunt, maxima ei inferunt detrimenta. Cum RORARIUS Cartesium, animantia bruta in machinas transmutantem, refellere studet, ea supra humanam sortem extollit. (c) Cui ignota sunt, quæ BALTH. BEKKERO euenerunt, qui, dum anilibus fabulis, quæ

(b) Scripta ad controuersias Bailianas facientia, inter quæ Leibnitii, Juriei, Clarkii, Billingeri, præ ceteris eminent, recenset J. A. FABRICIUS in *delectu argumentorum pro veritate religionis Christianæ*. pag. 383. seqq.

(c) in libro, quo adstruere conatur, quod animalia bruta sepe ratione utantur melius homine; censorem ac refutorem nactus S. Ven. RIBBOVIUM, qui librum hunc denuo typis excubari curauit, adnotationibus suis auctum,



vulgo de dæmone ac spectris circumferuntur, finem ac modum ponere studet, omnes spiritus maligni operationes reiicit, ac sacræ scripturæ dictis violentas infert manus. (d) Taceo recentiores quosdam, ne cui stomachum faciam. Minus ergo peccant ii, qui ob connatam ingenii imbecillitatem ad dubitationem sunt proclives; grauius, quibus ambitio & insana gloriæ cupido Scepticismum commendat; grauiissime, qui concepto in religionem odio, dubia nectere, & cum de eorum solutione desperandum esse profitentur, religioni bellum inferunt, dogmaticos exercent exagitantque, nec vlli rei diuinæ, nec humanæ, certitudinem inesse clamitant. Hoc Scepticismi genus, cuius antesignanus BAILIUS a quibusdam habetur, licet miræ ingenii celeritate excolatur, cane tamen peius & angue fugiendum esse, cordatiores omnes adfirmant.

§. II.

Magnum quidem, sed aliquo tamen modo ferendum esset hoc vitium, si doctrinis tantummodo humanis inhaereret; sed tanta rebus nostris imminet miseria, vt multi etiam de oraculis ab ipso Deo, & falli & fallere nescio, profectis, non dubitent solum, sed alios etiam in suas trahere partes, iisque certissima salutis consequendæ subsidia extorquere studeant. Nota sunt molimina eorum, qui infelicibus fideribus nati diuina oracula, dubiis vndique conuectis, suspecta sublesteque fidei reddere conantur. Alii, philosophia in subsidium adhibita, verbo quidem simulant, se eius opera adiutos, maiorem sacro codici adfundere lucem, re ipsa vero id agunt, vt scripturæ sacræ auctoritate sublata, suam ipsorum, quam animo finxerunt, philosophandi rationem constituent normam, ad quam ipsius Dei effata, mirifice in alias omnes sententias detorta, interpretentur. Coniecturis alii nimium fauent, ita, vt ex sui ingenii modulo interpretationes effingant, omnibus aliis, quæ ad eruendum genuinum sensum requiruntur, subsidiis relictis. Sunt quidem in sacris literis *duvonta*, inprimis in rebus historici, geographici & antiquarii argumenti, in quibus ingenii vires periclitari, cuius harum rerum notitia instructo integrum est: sed istiusmodi homines opera sæpe abutuntur in illis etiam locis, quibus & antiquioris & recentioris memoriæ interpretes, rationum pondere permoti, con-

A 3

(d) in mundo fascino, quæ de demoniacis controuersia ex parte hodie iterum nota quibusdam scriptionibus ansam dedit.

consentiunt, eorumque studio non tam iuuatur res hermeneutica, quam Scepticismus exegeticus, quo, recte monente Cel. WOLFIO, doctrinæ ipsæ in suspensionem falsi adducuntur. (e) Dolendum omnino est, inter ipsos theologos, qui unitatis fidei custodes recte vocantur, (f) esse nonnullos, qui huic dubitandi studio non ipsi modo dediti sunt, sed motis dubitatiunculis, quas plerumque inclarescendi cupido gignit, aliis etiam auctores fiunt, ut de rebus claris & perspicuis dubitent. Quantum vero inde nascatur reipublicæ christianæ detrimentum, verbis vix enunciari potest; sublata enim fundamenti firmitate, quin totum ædificium corruat, non est dubium. Omnibus igitur, quorum interest, ut via munita ad æternam salutem progrediantur, id in primis curæ esse debet, ut, quibus in itinere offendi facile est, salebris remotis, plerophoriam illam, qua sine omni dubitatione veritatis nobis conscii sumus, consequantur, in primisque studeant, ut firma quadam euidentiâ de illis rebus instructi sint, de quibus dubitare sine salutis dispendio non licet. Nunquam tamen sacrarum litterarum interpretationem prospere succedere, nisi arte critica in subsidium adhibita, inter omnes, quibus hac in re fides haberi potest, conuenit. Qui igitur euidentiâ in ipsa interpretatione sacræ Scripturæ sectari studet, eum *euidentiâ criticam* præstructam habere oportet. Qualis hæc sit, quauē ratione obtineri possit, prolixius nunc disputabimus. Faxit Deus, ut quam aliis præcipimus certitudinis consequendæ rationem, ea ipsi induti ad eum, quem propositum habemus, finem perueniamus.

### §. III.

Non is ad euidentiâ peruenisse censendus est, qui vitam in otio transigens, fide carbonaria quibusuis aliorum sententiis subscribit, cæterum flocci pendit, suæ naturæ sint eiusmodi, ut veritatis *κρίτησιον* inscriptum habeant, nec ne; sed qui multo labore, rerum rationibus vltro citroque versatis, non solum quid in iis verum sit, sed quale etiam illud sit, ita intelligit, ut nulla amplius adsit dubitatio, nec vlla vi sibi sententiâ suam, quam veram ex optimis rationibus agnouit, eripi patiatur. Sensu quidem maxi-

(e) in præfatione Tomo quarto *curarum philologicarum* præmissa.

(f) Hoc eos elogio maciandos esse, pluribus ostendit S. V. CHLADENIUS in oratione sub muneris academici auspiciis Erlangæ habita.

maxime rigoroso evidens illud est, quod ita nos ad adfensum cogit, vt non modo omnis dubitandi ratio euanescat, sed ne cogitemus quidem, vlla ratione fieri posse, vt ea locum habere possit. Quæ igitur sensibus percipiuntur, ita fere esse comperiuntur, vt de iis nulla certitudo non adsit. Sed in iis etiam rebus, quas mens corporis veluti auxilio destituta, & a rebus sensationi subiectis abstracta, intelligit, esse nonnullas, quæ in tantum certitudinis fastigium euehi possint, vt omnis dubitandi modus excludatur, ex scholis mathematicorum & philosophorum cognoscitur. Sunt autem quædam quoque res, quæ ob ingenii humani imbecillitatem, rerumque cognoscendarum absconditos recessus nunquam a nobis ita ad summum certitudinis gradum euehi possunt, vt omnis oppositi formido, vti a philosophis vocatur, exulet. Pauca sunt, quæ plene ab hominibus percipiuntur. Male igitur nobiscum actum foret, si geometrica euidencia vbique opus esse contenderemus, hominesque in omnibus, quæ agerent & cogitent, eum rigorem sectari deberent, qui mathematicos decet. Sed bene sese habet. Optime diuina prouidentia nobis consuluit, quæ cognitionem hominum ad consequendam summam salutem necessariam subtilissimis ratiocinationum compagibus, aut acutis speculationibus superstruendam esse noluit, sed, vt cuiusque hominis mens & ratio valeret, ita ei viam patefecit, qua, dummodo *ψευδονυμω γινωσκει* ne se ipse corrumperet, ad veram intelligentiam peruenire potest. Qui igitur euidenciam in illis tantummodo rebus, de quibus paullo ante diximus, quærendam esse putant, humano generi iniurii habendi sunt. (g) Latior eius pater campus, quam vt solos mathematicorum fines, aut pauculos philosophorum contineat agros. Rebus etiam historicis, moralibus, aliisque sua inest euidencia, licet vtriusque paullo diuersa sit ratio. Aliam igitur ingrediamur viam, & sensu latiori euidenciam dicemus esse, firmam de cuiusque rei veritate persuasionem, ex rationibus ad naturam eius pertinentibus deriuatam. Sic exempli gratia

Angu-

(g) Vitimur hic libertate philosophica, nec de verbis litem mouere nobis animus est. Nouimus quidem euidenciam a quibusdam solummodo ad res mathematicas referri omnibus aliis scientiis, vbi rigor mathematicus locum habere nequit, exclusis: sed non video, cur certitudo, si, quanta haberi potest, idoneis rationibus suffulciatur, hoc nomine insigniri non possit? Certitudinis voce nemo dubitat in rebus vti historicis; quidni euidencie vocabulum locum habere possit? Notæ sunt, quæ occasione scripti Mendelsöhniani ante paucos annos hac de re agitatæ sunt controuersia.

Augustum rerum Romanarum potitum esse, absque vlla dubitatione notimus. Quodsi autem quis hanc evidentem historicorum narrationem ex eo veram habere nolit, quod eius veritas non eo modo, quo theses quædam mathematicorum, demonstrari possit; quid de eo sentiendum putatis? Nonne perinde esset, ac si quis saccharo dulcedinem negare velit, quia oculis percipi non possit? Sua cuique scientiæ propria est natura ac indoles; si aliam ad alius normam diiudicare velis, nihilo plus agas, quam si des operam, vt cum ratione insanias. Quodsi ergo iustæ ac idoneæ adsint rationes, dubitationem, quæ forte oboriri possit, vincentes, rebus etiam probabilibus euidentiâ negari nequit. Quo iure quæso Deus nobis actionum nostrarum *πληροφοριαν* commendare potuisset, nisi eæ ad regula certitudinis exigi possint? Illi ipsi etiam, qui nimio probabilitatis amore ducti, non bene doctrinis vtilissimis consulunt, nihilominus certitudinis aliquod simulacrum retinendum esse censent, quod *magnum probabilitatis gradum*, itemque *certitudinem moralem*, adpellant. Quid autem aliud dicere habendi sunt, quam, vbi omnes, quantum fieri potest, rationes adsunt, probabilitatem in iura certitudinis transire, eique euidentiâ quandam esse adscribendam? Quæ euidentiâ minoris, si ita placet, ordinis, aut, si magis adridet, maior probabilitatis gradus, vt ab inferioribus dignosci possit, magnos multorum animos intentos esse nouimus. (b) Nec immerito: ita enim demum veræ eruditioni optime consuletur, si certitudo, quantum fieri potest, vbiq; obtineatur, ac confirmetur. Quid enim erit antiquitatis cultor, nisi summæ probabilitatis regulis armatus incedat? quid rerum naturalium scrutator, nisi per omnes probabilitatis gradus hinc adscendat, hinc descendat, donec ad summam, quæ haberi potest, euidentiâ perueniat? quid criticus, nisi sit adcuratus probabilitatis æstimator? Duo vero sunt, quæ euidentiâ gignunt, momenta;

vnum

- (b) Quantopere in construenda *Logica probabilium* desudarint philosophi, notum est; qui vero nouissime prodiit, GROSCHII, Magistri Jenensis, scærus, monstri similis, dubito, an vlli cordatorum probetur; quamuis enim multorum desiderio satisfactorum ingenti clamore operis sui præstantiam prædicet, nil tamen illud continet, quod non centies sit a philosophis dictum, nisi forte scurrile, quo vsus est auctor, scribendi genus, quo sæpe popinæ resonant, eum ab omaibus distinguat. Pro merito suo castigatus est a Cel. KLQTZIO in *Actis litterariis*, Vol. II. P. I. pag 78.

vnum multitudine notarum characterificarum, alterum earundem magnitudine comprehenditur, unde diuersa quoque eius ratio dependet. Vbi vero ambo notarum genera simul locum habent, ibi certitudinem tanto maiorem existere comperimus, quanto maior argumentorum consociatorum vis est, ac potestas. Harum rerum vsus ad res criticas relatus, infra luculentius patebit. Ex omnibus ergo, quæ hactenus diximus, intelligitur, euentiam in illis etiam rebus locum habere posse, in quibus, licet nulla adsit geometrica demonstratio, rationes tamen sunt, quæ dubitatione repulsa ad sensum gignunt, & scepticismum exulare iubent. In iis esse artem criticam, nunc propius declarabimus.

§. IV.

Qui in rebus criticis omnia humano geri arbitrio, nihilque loci rationibus ex ipsa earum natura natis, esse, autumant, parum solertes sunt huius artis æstimatorum. Satis quidem notus est SCALIGERORUM, BENTLEIORUM, aliorumque, dictatorio supercilio verba antiquorum auctorum mutantium, spoliantium, mutilantium, suoque periculo legi iubentium, despotismus criticus; sed hæc in scriptores dominandi libido iamdudum ab exercitatis artis criticæ iudicibus explorata est, ita, vt arbitraria illorum vitia minime ipsi arti tribui possint. Adsint oportet leges rationesque, quarum, qui arti criticæ studet, ne impune in verba scriptorum grassetur, quam maxime debet habere curam, alioquin perperuis agitatus dubitationibus, nunquam ad eam animi firmitatem perueniet, cuius imaginem paragrapho antecedenti depictam dedimus. Quænam harum legum sit mens & ratio, operæ pretium est, describere. Non vna vero huius artis interpretes incedunt via, aliis latiores, aliis arctiores limites constituentibus. (i) Qui autem delicatuli hanc artem nil nisi syllabarum nundinationem esse dicunt, eaque sacrarum litterarum interpretem commode carere posse putant, ignorantiam suam turpiter produnt, nec vlllo modo audiendi sunt; præterquam enim, quod sanæ mentis criticus, falsis interpretandi regulis reiectis, fictisque hypothesibus relegatis, ea, quæ perperam irreperunt, fecernit; genuinam is monstrat viam, qua ad verum auctorum sacrorum sensum indagandum

B

(i) Qui varias variorum hac de re nosse cupit opiniones, adeat J. E. J. WALCHII Librum *de arte critica veterum Romanorum*. cap. 1. §. 1. & 2.



peruenire possumus. Ne vero longis ambagibus lectorem deducamus, ipsam rem adgrediamur. Quidam huius artis limites tam late extendunt, vt omnes fere liberalioris doctrinae partes ea contineri sine dubio adfirmant. Hinc a critico requirunt, vt non solum facillimam linguas addiscendi viam monstret, obscurioresque voces interpretetur, sed vt etiam omnem ingenii vim in iis rebus collocet, quae de sapientia antiqua, de antiquis ritibus ac moribus, agunt, vt ipsos fontes adeat, ex iisque solis res sibi petendas putet, verbo, vt omnem Grammaticae ac Philologiae campum permeet, quaeque ibi reperit, secum auferat. Alii arctioribus eam includunt limitibus, omnemque hanc artem illa cura absolui putant, quae in expungendis locis auctorum spuriiis occupatur. Iliada post Homerum scriberemus, si omnia, quae critici hanc in rem disputarunt, congerere velimus. Media igitur via, qua fere semper tutissimum est iter, incedimus, huiusque artis indolem pro fine, quem propositum habemus, duobus capitibus determinamus, quorum primum est de locorum corruptorum emendatione, alterum de ipsorum in sermone verborum interpretatione, iis, quae ex antiquis moribus, ritibus, rebusque gestis, eis aliquid lucis adfundere possunt, in subsidium adhibitis. Euidencia igitur critica, quatenus ad sacras litteras refertur, quid aliud est, quam firma animi fiducia, libros sacros, quibus hodie vtimur, non solum esse eiusmodi, vt siue sententiarum ordinem, siue verborum phrasiumque formam respicias, post virorum Θεοτινεύσω tempora, eis nec aliquid additum, nec detractum, nec in eis immutatum sit, sed etiam, quam singulis verbis tribuimus significationem, siue natua sit, siue ab aliis rebus translata, sine dubio eis conuenire. Dicitur fane non potest, quanta non solum ex neglectu huius artis, sed etiam ex incertitudine, qua in eiusmodi rebus laboratur, nascantur incommoda. Quis enim nescit, omnium hominum, qui quidem diuinorum beneficiorum participes esse volunt, permagni interesse, voluntatis diuinae in sacris litteris consignatae esse certissimos? qua vero ratione ad hanc animi certitudinem peruenire possunt, nisi euidenciam, quam diximus, criticam praestructam habeant? Hoc in primis illis dictum esto, qui voluntatis diuinae interpretes aliis consequendae salutis aeternae viam praere statuerunt. Legati summi Numinis audire gestiunt; anne vero hoc elogio digni habendi sunt, si, quam hominibus explicare volunt, voluntatem diuinam ipsi non intelligunt, aut auctoritate huma-

humana contenti, ex versionibus, commentariis, aliisque huius generis adminiculis, sapiunt. (k) Permagni, ut in omnibus rebus, ita & hic interest, sententiæ suæ esse certissimum. BENGELIUM quidem, theologum non minoris eruditionis, quam probitatis, notimus; cum manus ad tractandas res theologicas admouisset, nec cognitionem suam doctorum edictis, sed ipsius Dei effatis superstruere vellet, multitudine lectionum variantium ita territum fuisse, ut, quo se verteret, nesciret; his anxiam curis, quas tacito secum pectore fouerat, ac de veritate sollicitum, summam adhibuisse operam, ut quæ ipsi obuenerant, variantes lectiones ponderaret, & hoc demum modo eum ad euidentiæ criticam peruenisse. (l) Tentatio fecit eum criticum, & ex critico theologum; cuius exemplum, utinam omnes, qui diuinis litteris sese initiari volunt, sequerentur! Sed plerique, qui hoc iter ingrediuntur, supina negligentia dormiunt, nec has, quas vocant, minutias tanti esse putant, ad quas animum aduertant. Negligentiæ tamen suæ excusationem quærentes, rerum potius scientia in interpretatione utendum esse, perhibent. Hoc vitium sæpe incurrunt, qui solis quibusdam doctrinæ philosophicæ compendiis degustatis, quæ non fuit magni nec laboris, nec ingenii, memoria complecti, se inter lusus fere quotidianos ad acumen interprete dignum peruenisse, gloriuntur. Quum igitur e fontibus haurire nolint, male digestas cogitationes sacro codici inferunt, nec tamen, se sensum eruisse, magno clamore profiteri erubescunt. Ex hoc fonte, neglectu scilicet euidentiæ criticæ, olim tot tamque monstrosæ allegoriæ natæ sunt, & respublica christiana grauissima inde cepit detrimenta. Haud raro quoque accidere solet, ut quibus aduerti sunt, notionibus eius philosophiæ generis, quod maxime familiare illis est, eas ipsas verbo, cuius potestatem e versionibus aut vocabulariis hauserunt, subiiciant, quæ sæpe a mente scriptoris alienissima est. Metaphysicas subtilitates verbis scriptorum sacrorum inferunt, harumque dulcedine capti, aut verba immutare, eaque ad opiniones suas transferre, aut iis notiones subicere, quæ viris Θεοπνευστοῖς nunquam in mentem venere, nulli dubitant.

B 2

(k) Legi hanc in rem merentur, quæ b. DANZIUS in *praefatione Interpreti suo* præfixa scripsit. Ο εχων ωτα ακειν, ακειτω.

(l) Hoc de eo narratur in vitæ curriculo, secundæ editioni *Adparatus critici* adnexo, pag. 699. sq.



tant. (m) Vtinam eiusmodi philosophicorum interpretum rarior nostris diebus esset seges! Sed nescio, quo iniquo & sanctioribus & humanioribus litteris fato, fiat, vt philosophia & artis criticæ studium haud raro conueniant, nec in vna sede morentur, quæ, si amicas coniungerent manus, mirificos efferre possent fructus. Jactant philosophi euidentiam metaphysicam; sectentur quoque euidentiam criticam, qua vtraque coniuncta, plurimum diuinis scriptoribus adfundere possent lucis.

### §. V.

(+) Inquirenti mihi ergo in causas, cur tam pauci inter eos, qui sacrorum oraculorum interpretes haberi volunt, ἀξιβειαν illam in rebus criticis sequantur, cuius in aliis scientiis tam auidi sunt aucupes, huius rei difficultas inter præcipuas referenda videtur. Quanti enim laboris est, ex tot locorum lectionibus in dubitationem adductis, veram ac genuinam eligere? quanti acuminis, tot de lectione vera prolatas coniecturas ponderare? quanti iudicii, suum cuique lectioni tribuere pretium, eamque ad naturam rerum referre? Maior tamen hic in libris Veteris, quam Novi Testamenti adparet difficultas, quæ maximam partem ex adparatus critici inopia profiscitur. Vnicum fere præsidium, quo sacrarum litterarum interpretes in stabiliendis textus Ebraici lectionibus adhuc vsi sunt, efficit illud opus, quod vulgo Masora vocatur, cuius auctoritas apud nonnullos tanta est, vt non solum venerandum antiquitatis monumentum, sed ipsum fere diuinum opus, cuius auctores diuino adflati fuerint spiritu, habeatur. (n) Nihilominus

- (m) Contra eos, qui in summa litterarum ignorantia, solis quibusdam doctrina cuiusdam compendiis degustatis, tamen interpretes diuinorum librorum haberi volunt, pugnat S. V. ERNĒSTI, in prolusione *de vanitate philosophantium in interpretatione Librorum sacrorum*, quæ inserta est *Ejus opusculis philologicis & criticis*, pag. 233.
- (n) De Masora, opere Ebræorum critico, quod ad adferendam vindicandamque & ad posteros transmittendam codicis sacri integritatem a maioribus Judæorum relatum est, præclarissime sensit OPITIUS, qui in præfatione Bibliorum fatetur; *se, si omnes codices conuenirent in adseuenda lectione quadam, contrarium vero pronunciaret Masora, confidenter eius auctoritatem secutum esse.* Huius viri sententiæ subscribunt alii, variationem lectionum, quam Keri & Chetibh vocant, quæ



minus tamen difficultas, quæ ex ea in interpretationem librorum bibli-  
corum irrepit, haud parua est. (o) Taceo iam pueriles Rabinorum  
lusus, friuolasque explicationes, quas de litteris maioribus, minoribus,  
inuerfis & contra ordinem positis, proferunt; nil dicam de innumeris fere  
contradictionibus & corruptionibus, quibus Masora, omnium, qui litte-  
ras Ebraicas callent, consensu repleta est; qui quæso fieri potest, vt Deus,  
salutis hominum cupidissimus, lubricam hanc & maxime fallibilem nor-  
mam constituèrit, ad quam, veluti lapidem lydium, oraculorum suorum  
integritas sit diiudicanda? Quum igitur rationes in omnes partes verso, a  
me impetrare non possum, vt Masoram diuinæ originis esse mihi persua-  
deam. Humanæ fragilitatis testimonia vbique fere fronti inscripta habet.  
Huc accedit, quod sagaciores harum rerum interpretes inuictis argumentis  
commonstrant, eam seculo demum post Christum natum octauo esse con-  
farcinatam, ad quam, quæ posteriore tempore prodierunt editiones, omnes  
fere sunt comparatæ, reliquis antiquioribus neglectis. (p) Nec mirum;  
primi enim post restauratas bonas litteras linguæ Ebraicæ præceptores,  
quibus Christiani vsi sunt, fuere Judæi, qui pro more suo hoc sepimentum  
legis,

B 3

quæ haud raro e diametro sunt contrariæ, ab ipso Deo inspiratam esse, contendentes.  
Factum illud esse ab HILLERO, WAGENSEILIO, HEIDEGGERO,  
commonstrat S. V. LESSIUS, in dissertatione *de cura, quam præsens textus  
Ebraei conditio requirit*, pag. 5. conf. WOLFFII *bibliotheca Ebraica* Tom. II.  
pag. 462.

(o) BUXTORFIUS, qui immortaliter, vt de omni litteratura Ebraica, ita etiam de  
Masora meritis de diffensionibus & defectibus in ea obuiis queritur, & quam-  
uis iis medendis manum admouisset medicam, non tamen tam Suffenus sibi videtur,  
vt omnia ad liquidum perduxisse existimet. Vid. eius *præfatio Tiberiadi præ-  
fixa*, pag. 12. Idem argumentis corroborat b. J. H. MICHAELIS in præfa-  
tione Bibliorum, pag. 18.

(p) Sunt quidem, qui, vt maiorem Masoræ conciliarent auctoritatem, eam ad antiquiora  
referunt tempora, quos nominatos videre potes a WOLFIO l. c. aliis tamen hæc  
sententia minus probatur. Vid. LESSIUS l. c. pag. 13. KENNICOTIUS  
ex ipsis Judæorum libris testimonia colligit, Masoram insigniter esse corruptam,  
tantaque emendatione egere, vt ne doctissimus quidem hic & indefessus editor  
corrigere & limare eam per omnia possit. Videatur Dissertatio eius secunda *super  
variatione textus Ebraici Vet. Test.* a TELLERO in linguam latinam translata.  
pag. 240. seqq.



legis, uti vocare solent, iactitare non desuerunt, nec discipuli eorum, pia quadam superstitione, in critica Judæorum emendatione adquiescere dubitarunt. Dissipavit tandem ex animis recta artis criticæ exercendæ ratio hanc superstitionem, nec hodie fere quisquam est, qui ex collatione veterum exemplarium aliquid lucis adfundi posse neget. Ingentes igitur gratiæ debentur KENICOTIO, Anglo, qui non solum conquirendorum antiquorum textus Ebraici exemplarium, sed comparandarum etiam variantium lectionum occasionem dedit, unde crisi acutiorem in libris quoque Veteris Testamenti felici successu exerceri posse sperandum est. (q) Sed eandem hanc rem maxima premit difficultas. Primum enim, quanta diligentia opus est, ut codices vetustiores (recentiores enim nihil ad rem faciunt) inueniantur, quorum magna pars locis occultis adhuc latet, veribus corrosa aut squalore obsita. Deinde Herculeum esse laborem, variantes conquirere lectiones, lynceisque ad hoc negotium opus esse oculis, nemini dubium esse potest. Præterea in via nondum satis trita in errorum præcipitia labi, facillimum est, cum alii paucissimis codicibus inspectis ad mutandam lectionem valde sint proclives; alii ingenio nimis indulgentes, quidvis sibi licere arbitrentur, & cum HUBIGANTIO, quo vix audaciorem criticum sol vidit, nulla urgente necessitate, mutationem inducere conentur; alii præpostere leges sanciant, ad quas variæ lectiones, quæ nondum sunt inuentæ, diiudicare debeant; alii, qui cautius egisse haberi volunt, mutationem ex ingenio faciant, expectantes, an aliquis codex opinioni suæ patrocinetur. His difficultatibus superandis multi deterriti, licet opus perficiendum ex animo optent, verentur tamen, ut ad optatum finem perducatur, euentumque parum felicem ominantur. Magnæ obstant, fatemur, difficultates, nec tamen tantæ sunt, quibus industria hominum impar sit; de quo suo loco fusius disputabitur. Minor, nec

(q) Quæ viri, iussu Regis Danorum per terras orientales peragrantes ex Ægypto transmiserunt, Manuscripta iam sunt collata; Mediolani variantes lectiones ex duodecim codicibus bibliothecæ Ambrosianæ collectæ sunt. Romæ, Taurini, Vindobonæ, Dresdæ, aliisque in urbibus bibliothecæ KENNICOTII visibus patent; ex Hispania plurimum adumentum nactus est. Ne tamen tantis conatibus impensæ deessent, magna pecuniæ vis collata est, cuius rei academia Palatina primum inter nostrates anno huius seculi sexagesimo quarto dedit specimen. Videantur *noua litteraria Gættingensia anni MD CCL XV.* pag. 449.

nec tamen nulla est difficultas, quæ artem criticam ad libros Novi Testamenti referendam premit. Pleraque quidem, quæ diximus, impedimenta, hic sunt remota, reliquæ tamen non contemnendæ adhuc supersunt. Qui a quibusdam sanciti sunt canones, ad diiudicandas varias lectiones accommodati, magna ex parte vagi & perturbate positi sunt. Ipse WETSTENIUS, qui, ut sibi quidem videretur, in arte sua Roscius, cum omnibus fere criticis de principatu contendit, non semper huius artis peritis satisfecit, & dum sapius formulas, *ceteris paribus, interdum*, hisque similes, addit, difficilem esse genuinæ lectionis electionem, innuit. (r) Præceptionum criticarum vniuersalium difficultas ex eo quoque crescit, quod multi criticorum a semetipsi dissentiunt, in singulis locis repudiantes, quod vniuersè præceperunt, aut vniuersè reiicientes, quod in singulis locis probarunt. Qui nouerit, quantum laboris, industriæ ac iudicii requiratur, ex rebus singulis deducere formulam, quam vniuersè tuto semper sequi possimus, non mirabitur, lectionis eligendæ negotium inter impeditissima referri. (s) Quodsi criticus multo demum labore veram lectionem inuenit, nondum tamen omnes difficultates superauit. Alterum eius officium, in indagazione verborum singulorum, positum est. Quanta hic oboriantur difficultates, in aprico positum est. Lingux, quibus sacræ litteræ consignatæ sunt, hodie emortuæ sunt, nec græca, nec Ebraica eiusmodi est, ut breui & parum adcurata institutione addisci possit. Qui tantummodo vocabulariorum subsidio nituntur, in determinanda vocum vi & potestate vix ad illam *argisuias* peruenient, qua quidquid dubitationis oriri possit, supprimatur. Orationem præterea Novi Testamenti magnopere ab illis dictionis græcæ exemplis, quæ profana vocantur, mox recedere, mox mirifice ex illis posse illu-

(r) De hac inueniendæ & eligendæ genuinæ lectionis difficultate post alios fusiùs egit S. V. ERNESTI in *dissertatione de difficultate interpretationis N. T. grammaticæ*. §. 7. sqq.

(s) Quæ in WETSTENII editione Novi Testamenti desiderantur, multa cum libertate, nec minori acumine ostenderunt Duumviri de re critica sacra hodie meritissimi, S. V. ERNESTI, in *specimine castigationum in Wetstenii N. T. editionem*, & Cel. MICHAELIS in *introductione in lectionem Librorum Novi Testamenti* P. I. pag. 65, & 741. sqq. quibus addi possunt, quæ in *Relationum de libris nouis*, Anno MDCCLII. Gœttingæ euulgatarum, fasciculo secundo pag. 349. & sequentibus, disputata sunt.



illustrari, quicumque bene græce intelligunt, vident. Non sufficit igitur, quod plerumque fieri solet, in solis scriptoribus sacris hærare, sed probabilem horum interpretem externa quoque nosse oportet. Qui vero plerumque ad interpretandum accedunt homines, non ultra vulgaria lexica docti, aut e uersionibus pendere coguntur, aut, quæ sit scriptoris sacri mens cum ignarissimis ignorant, aut, dum verba auctoris ex linguæ latinæ aut vernaculæ vsu intelligunt, ineptias proferunt, quæ in scriptoribus profanis non ferantur, nedum in libris diuinis locum habere possint. Quodsi præterea a pueris interpretationibus ac uersionibus minus adcuratis aduersa facti sunt, errorum ita securi sunt, ut de iis deponendis ne cogitent quidem. Adultiore ætate a viris prudentibus & harum rerum peritis admoniti, vix pedem proferre audent, aditusque ad euidenciam criticam perquam arduus ipsis est, ac difficilis. Eadem ratio valet, si linguam Ebraicam respicias. Huius enim linguæ, quæ iam ante viginti secula viua esse desuit, ex eo quoque difficillima est ratio, quod per paucis libris illis, qui canonem Veteris Testamenti efficiunt, instructi, eius propriam formam vix dignoscere posse videmur: in paucitate enim librorum, plurimam partem sublimi & poetica scribendi ratione consignatorum, & ob ipsam antiquitatem intellectu difficilium, ubique hæreamus necesse est; multa *απαξ λεγομενα* cum summa difficultate vix cognosci possunt; multorum significatio ex vocum dispositione & contextu non semper tuto elici potest; multis subiectæ sunt variæ notiones, quarum, quæ hoc præcise loco obtineat, non semper sine difficultate euinci potest. (t) His igitur de causis euidencia critica multis, qui delicati vitam in otio degere, quam animi vires intendere, iudicii que aciem acuere, malunt, partim ignota, partim contemtu est, desperantibus, eam vilo modo impetrari posse. Sed bene habet; adfunt arma, quibus, quæ plurimis obstare diximus impedimenta remoueri, aditusque ad ipsam certitudinem criticam patefieri potest.

## §. VI.

- (t) His difficultatibus obuiam iturus Cel. MICHAELIS subsidia subministrat, addiscendæ ac intelligendæ huic linguæ iusuerentia. Optandum quidem esset, ut legibus ibi statutis ab omnibus mos gereretur, quamuis non dissecamur, paucissimorum, qui theologiæ manus admovent, esse, ut linguis Arabicæ ac Syriacæ tantum temporis tribuere possint, quantum auctor requirit, quantumque linguam Ebraicam addiscendam iuuare posset; leuiter enim harum notitia tincto parum inde utilitatis nascitur.



## §. VI.

Multos fortasse subiit cogitatio, annon euidentiæ criticæ, quam ipsam interpretationem sacrarum litterarum præstructam esse oportet, melius consultum fuisset, si eadem illa *αυτογραφα*, quæ manu Prophetarum & Apostolorum consignata fuerunt, ad nostram vsque memoriam fuissent conseruata. Fuisse litteras virorum *Θεοπνευστων* & in ecclesia Judaica, & primitiua christiana, authenticas, quas aut illi ipsi manu sua exarauerant, aut aliis dictando præiuerant, dubitari nequit. Mosen quidem omnem Pentateuchum sua conscripisse manu, nec ab alia manu accessionem factam esse, ex Deuter. XXX. 24. luculenter intelligitur; quo eodem loco, *αυτογραφον* MOSIS a latere arcæ, in peculiari quadam capsa, adseruatum fuisse, indicatur. (u) Quousque vero id durauerit, vel quando temporis iniuria perierit, pro certo determinari nequit; verosimile tamen videtur, illud, quod tempore JOSIÆ repertum fuit, legis exemplar, non solum idem fuisse, quod a MOSE erat exaratum, sed sequiore etiam tempore, fortasse captiuitate Babylonica, vna cum arca fœderis esse desisse. (x) Eadem fors reliquorum prophetarum *αυτογραφων* esse videtur, quibus gens Judaica iam pridem caruit, ne illo quidem codice, quem Esdras conscripsit, excepto: hic enim libros diuinos, post varias & temporum & diurnæ inprimis captiuitatis iniuria acceptas clades, perfecte instaurauit, atque ab iis mendis, quæ librariorum oscitantia forte irrepsērunt, repurgauit. Idem dicendum est de libris Euangelistarum & Apostolorum. Horum litteris criteria quædam, quibus, eas ex ore eorundem profectas, aut manu exaratas fuisse, cognosci poterat, adiecta fuisse, eo minus negari potest, quo pluris intererat, genuina Apostolorum scripta a spuriiis internoscere. Quas Apostoli dederunt, litteras, qui Christo nomen dederunt, in cœtibus suis recitantur,

C

runt,

- (u) Pluribus hac de re disputat J. H. MAIUS in dissertatione *de libris canonicis in arca fœderis reconditis*, præmissa *theologie propheticae*.
- (x) Nitimur 2 Paralipom. XXXIV. 14. vbi verba *כִּי מִשֵּׁה* quamuis ministerio Mosis datam esse legem denotare possint, natiuæ tamen significationi inhzrentes, per manum Mosis scriptam esse legem, explicamus. Cur enim JOSIAS, viso isto exemplari, tantam animo lætitiã conceperit, si commune aliquod & librarii cuiusdam manu fuisset exaratum. In hanc sententiã legi possunt, quæ habet VITRINGA in *synagoge vetere*, pag. 395.



runt, easque follicite describendas curarunt, ipsis, quas Apostolus, aut eius amanuensis scripserat, litteris magna cura adseruatis. TERTULLIAUNS quidem tempore adhuc suo AUTHENTICAS Apostolorum literas recitari, sonantes vocem & representantes faciem vniuscuiusque, docet. (y) Inter tot tamen turbas & vexationes, quibus Christiani illis seculis oppressi sunt, Apostolorum *αυτογραφα* perierunt, & licet quidam Venetiis Euangelium MARCI, ipsius manu scriptum, adseruari, dicant: horum tamen narrationi non maior fides habenda est, quam eorum, qui Bononiæ codicem ab ESR A conscriptum, adhuc hodie extare gloriantur. (z) Nec opus fuit, *αυτογραφα* superesse, cum a primis inde temporibus profarent *απογραφα*, quæ cum illis optime conuenire nouimus. Ut enim taceam, ea ipsa scripta sine miraculo adseruari non potuisse; quæ in rem christianam redundare potuisset utilitas, si vel adhuc hodie extarent? Quis fidem interponere potest, malitiam aut superstitionem hominum hac in re nunquam fallere aut falli potuisse? Qua quæso ratione, quæ in diffitis regio-

- (y) TERTULLIANI verba, quæ Libro de *prescriptionibus* cap. 14. Operum p. m. 108. continentur, tam clara sunt, vt nulli fere dubitationi locus sit. Ita enim ille. *Age iam, qui voles curiositatem melius exercere in negotio salutis tuæ, percurrere ecclesias Apostolicas, apud quas ipsæ adhuc cathedræ Apostolorum suis locis præfidentur, apud quas ipsæ authenticæ litteræ eorum recitantur, sonantes vocem & representantes faciem vniuscuiusque. Proxima tibi est Achaia, habes Corinthum; si non longe a Macedonia, habes Philippos, habes Thessalonicenses &c.* Quid litteræ authenticæ apud Ictos, quorum ordini TERTULLIANUS adscriptus erat, aliud sunt, quam tabula primariæ, e quibus exempla desumuntur? S. Ven. quidem SEMLERUS litteras græcas hic intelligi putat, in *Adparatu ad liberalem interpretationem Novi Testamenti* pag. 32. quid verò opus erat, in vrbibus græcis ad exemplaria græca prouocare?
- (z) Quod Venetiis adseruari dicitur, Euangelium Marci, teste MONTEFALCONIO ita corruptum est, vt latinis an græcis litteris scriptum sit, quidam dubitarint; meliora tamen indicia commonstrant, id secundum editionem vulgatam latine descriptum, esse particulam Euangeliorum, quorum alia Prægæ, alia item in foro Julio adseruetur; omnem huius narrationis auctoritatem euanescere, ostendit B. G. CLAUSWITZIUS in dissertatione *de autographorum biblicorum iactura* §. 14. cui adde MICHAELIS *introductionem in lectionem Novi Testamenti*, P. II. pag. 1160. De codice Esræ *αυτογραφω* ridiculam narrationem recenset, falsitatisque conuincit WOLFIUS l. c. P. II. pag. 285.

regionibus diuinorum oraculorum circumferrentur, exemplaria, cum illis conuenire, ita euinci possit, vt nulli dubitationi locus esse possit? Videri quidem possent, si adhuc superessent, id commodi nobis præstare, vt omnia, quæ inde a primis temporibus descripta ex illis, & in litteras relata sunt, loca, diiudicari, & vindiciæ secundum eorum integritatem dari, litesque, quæ circa nonnulla Scripturæ loca exortæ, magnis conuitiis, non sine magno rei christianæ detrimento, agitatae sunt, & adhuc hodie agitantur, facili negotio componi possint: verum res desperata non est, & ἀπογραφα non solum in iura αυτογραφων transiere, sed cum ad hunc diem vsque incorrupta & illibata conseruata sunt, firmum & immotum præstant veræ religioni fundamentum. Cum igitur quem Deus propositum habuit finem, vt homines præscriptam sibi a summo Numine salutis consequendæ viam intelligerent, quamuis αυτογραφων fecerimus iacturam, ex solis απογραφωις consequi possunt; nulla adest miraculi huius necessitas; quid? quod ex ipsa eorundem iactura non parum emolumenti accepit res Christiana. Hoc enim modo imbecillitati hominum pepercit Deus, occasionem auferendo, ne maioris criminis scelere admissõ, grauiora damna inferrent: fieri enim facile potuisset, vt gens humana leuitatis ac superstitionis amans, hoc κειμνλιον aut minoris, ac par esset, æstumasset, aut in contrarium ruens, cultu idololatræ, aut certe nimis supersticioso, profecuta fuisset, quod vtrumque in rebus antiquitate conspicuis euenire videmus. Præstitit, inquit CARPZOVIVS in Critica sacra, ea aboleri exempla, quæ manu virorum Θεοπνευστων erant exarata, quam superstitioni mortalium inde ansam subnasci, mentesque a verbi diuini sensu ad aucupandas elementorum minutias abripi. Nec vero illud etiam omittendum est, quod horum scriptorum iacturam tolerabiliorem reddit, potuisse ea in manus possessorum incidere, male illis vventium, hominibusque fumum vendentium. Criticæ artis studium certe & hic in medium adhiberi debuisset, & vix fieri potuisset, quin maxima semper nos vrgeret difficultas. Nihil ergo nobis consultum fuisset, si vel hodie adhuc profstarent; integritati potius librorum diuinitus signatorum inuigilare nunc discimus, & cauere, ne quid detrimenti nostro vitio capiat codex sacer, ac ne quid sine probatione, diuino auxilio instituta, adsumamus, cuncta vero ad ceterarum veritatum diuinarum obrustam diiudicemus.



## §. VII.

Eorum igitur, qui euidentia critica ornari volunt, permagni refert, vt diuinorum virorum scripta intemerata ad nos peruenisse, omni certitudine instructi intelligant. Duplicem huius veritatis corroborandæ inire possumus rationem, quarum alteram theologia, alteram artis criticæ regulæ suppeditant. Prioris generis argumentis, quæ in illis locis proferri solent, vbi de integritate sacræ scripturæ agitur, relictis, de posterioris generis argumentis quædam differemus. Fac ergo, libros diuinitus ortos adeo esse corruptos & mutilatos, vt hodie sciri non possit, quæ verba a Deo profecta, quæue ab hominibus essent adiecta; quæ inde absurda, quæ absona dictu essent statuenda! Primum enim *arrogantia* & sollertia ad vnum omnes, qui diuersis temporibus, diuersisque locis, describendis sanctioribus libris vacarunt, adeo deficere debuisset, vt quo loco vnus peccauit, omnes peccarent, omniumque commune aliquod, imo idem fuisset vitium. Deinde, qui a rerum christianarum initio ad hæc vsque tempora, a veritate declinarunt, omnes eodem errore impliciti esse debuissent, cui ex locis corruptis patrociniū quærerent; idque non recentioribus temporibus, sed ipsorum Apostolorum ætate, qua genuina nondum euulgata fuissent exemplaria, euenire debuisset. Illi ipsi primi cætus christiani doctores, & qui eos proxime secuti sunt, viri Apostolici & patres ecclesiastici, aut corruptionem introductam esse, ignorare, aut certe tacere debuissent. Eadem vitia & in omnes, quibus gaudemus, librorum diuinorum versiones, quarum a primis inde temporibus copiam sat amplam habemus, incurrere, & in omnibus patrum ecclesiasticorum scriptis, vbi oracula diuina excitantur, occurrere debuissent. Hæc omnia statuenda sunt illi, qui auctores biblicos corruptos & mutilatos esse contendere velit; id quod inter recentiores inprimis WHISTONUS, vt Arii dogmatibus patrociniū quæreret, & HARDUINUS, vt vulgatæ Bibliorum editioni auctoritatem authenticam conciliaret, egerunt. In Judæos primum corrupti codicis Ebræi culpam coniecerunt; hos enim, inquiunt, auertentes tempus Messiæ aduentui præstitum effluxisse, seculo post Christum natum secundo, chronologias mutasse, prophetas adulterasse, ideoque in fundamento, quibus res christiana innixa staret, egisse cuniculos.

Qui



Qui istud crimen in Judæos coniciunt, ut opinioni suæ aliquod patrocinium quærant, patres ecclesiasticos aduocant, eorumque auctoritate sententiam suam confirmare student. Sed si loca, quæ in rem suam adlegant, attentius consideraueris, nihil eorum, quæ illi quærent, ibi inuenies; ut taceam, constantem esse Judæorum cum Christianis, si oracula ad Messiam relata respicias, quoad integritatem textus, consensionem, nec in antiquissimis, quibus adhuc gaudemus, versionibus, vllius variationis indicium adparere; ex quibus omnibus tuto concludere licet, frustra Judæos corrupti sacri codicis reos esse factos. Sed quæ fortasse Judæi religione ducti non fecerunt, ab hæreticis facta sunt? Nec huius opinionis desunt patroni. Marcioni quidem TERTULLIANUS hoc audaciæ tribuit, ut multa refecerit; sed tam timide & obscure loquitur, & lectorem variis descriptionibus & figuris huc atque illuc agitat, ut, quæ vera ei sedeat mens, tuto colligere nequeamus. Sed etiam si concedamus, ab vno alteroue hæreticorum orationis sacræ seriem & modum immutatum fuisse, non tam late tamen serpere potuit fraus, ut in omnibus, quæ vbiq; extarent, exemplis vim suam exercere potuerit; doctissimorum potius & prudentissimorum doctorum sanctorum cura & diligentia eo destinata erat, ut intemerata & integerrima ad posteritatem seruarietur sacrorum librorum exemplaria, ne posteris deessent, quæ interpolatis opponerent, adeo, ut ne error & impietas suo ipsorum crimine latius disseminentur. Huc accedit, quod in tanta exemplarium multitudine, quibus statim post Apostolorum tempora vti fuerunt Christiani, diuersis locorum interuallis disiuncti, vix cogitando adsequi possimus, qui deprauatio locum habere potuerit, quin id statim ab aliis fuerit animaduersum, ac publice notatum. Grauissime igitur vapulat, quem ante nominauimus, WHISTONUS, qui non solum aperte verbis negat, Euangelia Actusque Apostolorum eadem *Θεοπνευσια* certa atque sufficienti constare, ac libros propheticos alios Veteris & Novi Testamenti, sed ita etiam se gerit, ut vir cetera magnis & multis bene de re litteraria meritis insignis, hac in re egregie impudens & præceps in sentiendo putandus sit; id quod peculiari dissertatione Summe Ven. SEMLERUS euictum dedit. Quas enim fundamenti loco ponit regulas, nemo non harum rerum paullo peritior, & consilii malignitate suspectas, & paucas nimis, incertasque & dubias, ordinis-



ordinisque iusti negligentes esse videt? Iterum a nobis in partes erit vocandus, vbi infra de eligenda vera lectionis regulis agemus. Caterum in eo quoque suspectum se reddidit, quod corruptionis, quæ partim hæreticorum impostura, partim pia orthodoxorum fraude introducta fuerit, exempla, in iis præsertim locis adfert, quæ de diuinitate Optimi Seruatoris nostri agunt; ex quo vnico testimonio, quæ de vniuerso eius opere statuendum sit, lucide adparet. Hinc omni probabilitatis specie destitutus, corruptionem ad omnia Noui Testamenti exemplaria transisse ait, seque eum esse, qui ei pristinam & primam integritatem restituat. Egregium vero emendatorem, qui statim in initio operis critici tam turpiter se dedit, vt, qui eum etiam sequi velint, illo Terentiano vti debeant: fecisti probe, incertior sum multo, quam ante. Quodsi etiam nonnullorum codicum in aliquibus locis vera verborum conditio haud manserit, ea tamen in aliis intacta omnino est conseruata, vt adeo totalis librorum biblicorum deprauatio nulla esse possit. Sed nescio, quam iniqui sint multi homines rerum diuinarum æstumatores, vt, quam in humanis scriptis admittant certitudinem criticam, ad libros diuinos referendam esse nolint. Legunt scripta Platonis, Homeri, Ciceronis, aliorumque, quos Græcia & Latium protulit, scriptorum, nec vlli, ea omnino esse deprauata, in mentem venit; qui autem scripta diuina deterioris esse conditionis opinari possunt, nisi forte ex interno veritatis odio hanc repugnantiam oriri, dicamus? BOLINGBROKIUS quidem, quem SWIFTIUS nunquam ait delirasse, nisi cum animum ad res sacras aduertisset, libros biblicos omnes esse corruptos, nulla addita adfert ratione, clamat, quem eiusmodi farinæ homines cæco adensu sequuntur, nec vero, quæ dicunt, argumentis superstruere audent. Multitudinem lectionum variantium plerumque nobis exprobrant, ex iisque *απογραφα* esse corrupta, euidenciamque criticam nullam esse, adfirmare conantur. Qua de re, quid sentiendum sit, alio tempore disputabimus.

Aliud iam nobis incumbit officium, cuius peragendi gratia proflusionem hanc conscripsimus. Crastino nimirum die, hora post meridiem secunda, lustrationis scholasticæ Solemnia, a Musis nostris celebranda, eo, quo decet ritu, publice indicimus. Rogamus itaque, quotquot  
Musis

Musis nostris fauent, nec animum a rebus scholasticis alienum habent, imprimis **MAGNIFICOS** huius reipublicæ **PROCERES**, Gymnasii **NUTRITORES BENIGNISSIMOS**, Venerandi Senatus Ecclesiastici **DIRECTOREM & ASSESSORES SPECTATISSIMOS**, Verbi Diuini **MINISTROS VIGILANTISSIMOS**, Juris & scientiæ medicæ **DOCTORES CONSULTISSIMOS & EXPERIENTISSIMOS**, omnes **PATRONOS** ac **FAUTORES DOCTISSIMOS & HUMANISSIMOS**, vt honorifica sua præsentia actum hunc ornare, & diligentiam studiumque discipulorum nostrorum excitare velint; quam beneuolentiam mutuis semper officiis prosequemur. Vt autem, quo ordine singula peragenda sint, intelligatis,

Ipse oratione latina, *de inuidia eruditis expetenda*, reliquis oratoribus præibo.

Deinde, ex cathedra inferiori **JOANNES RINK**, *Saxenhusanus, Exemptus, chori minoris Calefactor*, in quo nihil desideramus, quod discipulum pium, diligentem ac modestum decet, carmine heroico latino, *de formidolosis huius anni tonitribus*, canet.

Postea ipsa lustratio scholastica ritu a maioribus recepto peragetur, qua, aliis ad altiora subsellia euocatis, aliis virtutis & diligentiae præmiis ornatis, ex singulis classibus bini prodibunt adulescentes, bona indole præditi, qui, si decimum, Rinteliensem, excipias, omnes sunt nostrates. Hi breuibus oratiunculis gratiam & munificentiam **BENIGNISSIMORUM** Gymnasii **NUTRITORUM** grata mente deprædicabunt. Nomina eorum sunt, quæ sequuntur.

*Ex prima classe:* **JO NICOLAUS MUMM.**  
**JO. LUDOVICUS BURGK.**

*Ex secunda classe:* **JONATHAN GOTTLIEB GOENTGEN.**  
**JO. CHRISTOPHORUS DIEHL.**

*Ex*



*Ex tertia classe:* JO. GEORGIUS MALS.  
PHIL. JACOBUS FÜRNRANTZ.


*Ex quarta classe:* JO. FRIDERICUS PREGEL.  
JO. BALTHASAR DAUBER.

*Ex quinta classe:* PHIL. JACOBUS NACK.  
JO. FRIDERICUS PLITT.

*Ex sexta classe:* JO. JACOBUS MARSCHALL.  
JO. DAVIDES REICHARD.

Tandem conscendet cathedram inferiorem, JACOBUS CHRISTIANUS REIMHER, *Francofurtensis, Exemptus*, qui Venerando Parenti nobisque indefessam diligentiam, morumque compositorum venustatem satis hactenus probavit; is carmine Teutonico *celeberrimam ciuitatis Francofurtensis ob prærogatiuas insignes famam* describet, totique actui finem imponet.

P. P. Francofurti ad Moenum, a. d. IX. Cal. Octobris,  
A. O. R. M D C C L X V I I.



Jc 335

Vd 18

ULB Halle 3  
003 928 160





sb.

Vd 17

nl







PROLUSIO PRIMA  
DE  
EVIDENTIA CRITICA  
AD SACRAS LITTERAS REFERENDA

QUA  
LUSTRATIONIS SCHOLASTICÆ  
SOLEMNIA  
JUSSU ET AUCTORITATE  
VENERANDI CONSISTORII  
A. D. VIII. CAL. OCTOBR. M D CCLXVII.  
HORA LOCOQUE CONSUETIS  
PUBLICE CELEBRANDA,  
EA, QUÆ DECET, OBSERVANTIA ET PIETATE  
INDICIT  
JOH. GEORGIUS PURMANNUS  
GYMNASII RECTOR ADJUNCTUS.

FRANCOFURTI AD MOENUM  
EXCUDERAT HENRICUS BAYRHOFFER.